

Faint, illegible text on the left page, likely bleed-through from the reverse side.




PANEGYRICVS
 QVEM
 DIS MANIBVS
JOHANNIS
GEORGII III,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
SAXONIAE ELECTORIS,
PRINCIPIS AC DOMINI SVI CLEMENTISSIMI,
 SVMMA PIETATE CONSECRAVIT
 INQVE ACADEMIA ALTDORFINA
PVBLICE AC SOLLENNITER RECITAVIT
EVCHARIVS GOTTLIEB RINCK,
ANNO INEVNTE O. R. MDCCXCII.

LITERIS HENRICI MEYERI,
 ACAD. TYPOGR.

PANEGYRICVS
 DIS MANIBVS
 JOHANNIS
 GEORGI III
 SAXONIAE ELECTORIS
 PRINCIPIS AC DOMINI
 INQVÆ ALGERIA ALGERINA
 BVCHARIVS GOTTLIEB RINCK
 GANDI INEB. K. CHIRVRGII



267626



Um ad Trasimenum illud belli fulmen
 Hannibal Romanis grande infixif-
 set vulnus, & ad primum cladis hu-
 jus nuncium, ingentium terrore ac
 tumultu concursus populi ad forum
 factus esset, progressus in Rostra
 Marcus Pomponius Prætor, ac præ magnitudine
 calamitatis pauca hæc in verba erumpens, *Pugna,*
 inquit, *magna victi sumus!* Pari brevitæ utitur nun-
 cius ille apud Homerum, torpente lingua, defici-
 ente spiritu, magni Herois mortem annuncians:
Κεῖται Πάτροκλος! *Jacet Patroclus!* Ignosci forsan æque mihi
 possit, si orationis meæ causam & argumentum
 universum, præ incredibile doloris acerbitate pau-
 cis his exponerem verbis: Magnam cladem passi
 sumus! Ingentem jacturam accepimus! Maximum

A Electro-

Electorem amissimus! *καὶ πῶς πάροικλ!* Jacet JOHANNES GEORGIUS III. Fortitudine nulli secundus! Sed hoc quidem dolori nostro sufficeret; toti quod debemus officio haud sufficeret. Præter dolorem enim ac luctum laudes etiam sibi deposcit Elector laudatissimus; atque has tanto magis, quod dolor affectum plerumque cæcum ac ineptum sequitur; laus vero peculiaris ac propria virtutum merces est, debita omnino Principi illi, qui facta sua omnia resque pace ac bello gestas, post Supremi Numinis gloriam, ad famam immortalem consequendam direxit; quam optime perspectum habens, cætera Principibus statim adesse; unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. Nam contemptu famæ contemnuntur virtutes. Regum vero & Principum majestatem, celsitudinem, virtutumque splendorem, oratione publica, publico in magnorum virorum confesso, ad sempiternam posteritatis memoriam commendare, si quis arduum esse non putet, is omnium recte sentientium judicio impudens ac imprudens est existimandus. Cæcutimus fulgentissimum solem aspicientes, dum ipsa oculorum acies nimia claritate perstringitur. Animo confundimur de Divina Majestate cogitantes, dum ipsa intelligendi vis susceptæ considerationis sublimitate percellitur. Quis itaque Solem huncce Saxonicum accuratius intueri, virtutumque radios ex eodem refulgentes depingere stilo, ac Dei hujus terrestris sublimitatem assequi oratione queat? Quis ejus Pietatem, Fortitudinem, Justitiam, Clementiam, dignis deprædicare verbis sustineat? Pietas ejus non inquinata erat simulatione, ut Numæ,

mæ,

mæ, Fortitudo non ambitione, ut Julii, Justitia non crudelitate, ut Commodi, Clementia non lenitate nimia, ut Claudii; ac regimen illius non per annos quinque, ut Neronis, sed semper gratum acceptumque fuit. Alexander M. ab Apelle tantum se pingi passus est, & a Lysippo efformari. Optarem & ego nunc, Beatissime ELECTOR, ut aureo verborum flumine uti, mellitissimo Platonis ore loqui, Isocratis fistulis canere, aut Periclis instar tonare, fulminare, omniaque permiscere valerem! Utinam elegantissimo Apellis penicillo ac nativis coloribus virtutum tuarum splendorem, splendidissimo huic auditorio, imo orbi universo, explicare possem! Sed quoniam optare hæc, non sperare, fas est, permittes me inter eos numerari veneratores Tui, qui ex pietate debitum suum persolvere volunt, quamquam ad justitiæ rigorem non possunt. Deus in terris fuisti, & nunc in cælo amplexibus adhæres Salvatoris tui: itaque ut hic non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætatur, sic & Tu ad puram gratamque mentem meam magis, quam ad orationem simplicem minusque compositam, respicies. Proinde alii laudibus ad astra ferant Pietatem Tuam, alii Prudentiam, alii Justitiam, alii Clementiam, alii alia virtutum tuarum miracula extollant; ego Te ut OCCIDENTIS AC ORIENTIS TERROREM, sive, ut MARTEM SOLI LUNÆQUE FORMIDABLEM, pro virili nunc repræsentabo. Electoris Friderici Palatini tumulto Heidelbergæ hæc insculpta sunt verba: *Salus patriæ, prædonum fulmen; & fuit ejus vitæ socia virtus, gloria mortis comes.* Vobis jam, Auditores

A 2

tores

tores multo honoratissimi, Electorem Saxoniae JOHANNEM GEORGIVM III. ut Salutem patriæ, prædonum Fulmen, exhibebo, ejusque vitæ sociam Virtutem, Gloriam mortis comitem fuisse, ostendam. Hoc grande epos dum molior, quamquam ipsa per se delectæ ad dicendum materiæ dignitas satis magnam audientiam factura videatur, tamen magis consuetudine, quam quod ita necessarium judicem, a Vobis quam studiosissime peto, ut mihi res pulcherrimas oratione hac comprehendere meditati, exigui temporis attentionem ne denegetis.

Qui numerosis alienæ gloriæ titulis & florentis familiæ splendore exornare quæmpiam satagunt, cumulata Majorum Avorumque præconia, & vetustissimam prosapiæ Nobilitatem, ab ultima priscorum seculorum memoria in lucem revocare solent. Ego vero Electorem Beatissimum non alienis plumis ac floribus condecorare studebo, nec commemorabo Majores Illius, quorum virtutes excellentissimas ætas omnis veneratur, famam nunquam intermorituram posteritas colit & admiratur, res in Toga Sagoque insigniter gestas æternitas ipsa semper intuebitur. Non recurram ad antiquissimos antiquæ Germaniæ Heroas, Arminios & Maraboduos, non ad Wittekindos Magnos, non ad Heinricos & Ottones, summo Majestatis Cæsareæ culmini totiusque Imperii gubernaculo admotos. Propiora tantum flexo poplite salutare Numina, atque hoc ingenue profiteri liceat, quicquid in Avo JOHANNES GEORGIO I. in PATRE nominis

minis hujus secundo, genii fuit & ingenii, quicquid animi & generositatis, gravitatis & comitatis, illud omne e JOHANNES GEORGIO III. (omne namque trinum perfectum) tanquam speculo lucidissimo pulcherrime eluxisse. Fuit is enim JOHANNES, hoc est, Gratosus; fuit GEORGIVS, qui terras suas colendo & excolendo reddidit felices ac salutare. Nomina Magnatum sæpe sunt omina. Et sicut Pater Serenissimus fecit, ne aliter appellaretur Filius; ita hic fecit, ne immerito sic fuerit appellatus. De cætero & Proavum paternum CHRISTIANVM illum Magnanimum, universo in orbe Christiano celebratissimum, & Abavum AVGVSTVM, communem illum Patriæ Patrem vere Augustum, Fratremque ejus MAVRITIVM, qui Imperatorem Orbis potentissimum fulminis instar attonuit, certe perterruit, & Atavum HEINRICVM, & Tritavum ALBERTVM, Hectorem illum Teutonicum, Rolandum alterum, Imperiique dextram, in se uno, tanquam cunctorum idea & compendio, quasi redivivos luculentissime exhibuit, ita ut hunc unum qui viderit, omnes viderit. Edidit vero cæleste hoc pignus MAGDALENA SIBYLLA Brandenburgica; cujus familiæ sublimitatem Electoralis Purpura supra apices alios etiam nunc attolit, & affinitas Regum Cæsariumque eo jamdudum evexit fastigii, quo nullum excelsius in rebus humanis: edidit, inquam, vigesimo Junii, anno seculi hujus septimo & quadragesimo, cum Templum Jani in Germania sensim cœperat claudier, jamque rosea pacis Aurora cælo sereniore promicaret: omine iterum fausto, ac prædivinante, fore, ut a

Principis hujus nativitate & sub ejus regimine, saltem in ipsius Electorali aliisque provinciis, firmiter constanterque floreat *Pax optima rerum, quas homini novisse datum est, pax una triumphis innumeris potior.* Neque vero etiam incunabula illa, in quibus infans vagiit Princeps noster Electoralis, aut terram, in qua reptavit puer, adulantium more Poetarum, multis deprædicabo: interim tamen gloriosam nuncupare liceat Dresdam, quæ illum protulit, felicem terram, quæ marem hunc gremio complexa, maximum postea fulcrum habuit & propugnatores; fortunatas cunas, in quibus Hercules hicce magnis ausibus suaviter prælusit. Egregii enim naturæ partus, ipsi se suo opte nutu produunt. E rudi quoque nec dum purgata massa scintillat adamantas, & resplendet aurum. Leonis catulus quamprimum lucem adspicit, suos explorat unguis; & regium animum ostentans, humentes adhuc colli jubas concutit, ac proludit pugna. Ista, inquam, omnia prætermittam, ac ad Principem nostrum propius accedens, maturentis ævi crescentes laudes attingam: pueritiam intelligo & adolescentiam. Quarum illa probe imbuta est pietate vera, illaque doctrina, quæ sanum de DEO sensum & rectum ejusdem cultum propinat; quæ honesti amorem, vitiorum odia instillat, ac justa rebus precia statuit: hæc vero a generosis ac prudentissimis Ephoro, Informatoribus, stabuli, lingvarum, exercitiorumque magistris ad palmam & decus omne facili Minerva exulta est ac efformata. Equidem ex sapientia scholastica Princeps noster modum tenuit, quod est difficillimum, quodque Tacitus

laudat

laudat in Agricola suo; qui, ut corporis ingeniique vires, exantlandis in Republica laboribus integras conservaret, eas intempestivis studiis deterere noluit, sed, quantum Senatori olim Romano sufficeret, addidit. Ita Scipio ille posterior, ita Sulla, Pompejus, Lucullus, aliique Romæ eminentes, hunc animi cultum, non quantum scholæ, sed quantum vitæ conduceret, admiserunt. Multo certe melius, quam vel Hadrianus, qui, quod impensius literis græcis navaret operam, a quibusdam Græculus dicebatur; vel Julianus, qui ob eandem affectatæ nimis doctrinæ culpam Græcus Literio audivit; vel Michael Parapinacius, Imperator Constantinopolitanus, qui Michael Pfello, Philosophorum ea tempestate principe, magistro, totum se literis dedit, gubernationem rerum eunuchis committens, ac imperium turpissime dehonestans; vel Alphonsus, qui totus Astronomiæ devotus, cælum ac nubes magis coluit quam terram; non illud sibi Poetæ dictum existimans:

*Orabunt alii melius, cœlique meatus
describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento!*

Et jam alia alio vocabant Principem nostrum. Nempe ut tantum belli Ducem aliquando exhiberet, quantum tunc promisit, saltu, armis, lucta, in circo, in campo, in palæstra frequens exerceri, dimicare punctim, torquere hastam, vibrare vexillum, equos in gyrum flectere ac rotare, ferocientes freno impedire, sclopoque propius exploso ad securitatem belli temperare. Sæpe tunc (imo & postea

postea per vitam omnem) juvabat exire venatum, ac ferarum agitatione corporis robur experiri pariter ac indurare, veteri heroum instituto. Ita namq; Hercules, ita Achilles, adoleverunt ac præluserunt virtuti, qua dein omnem terrarum impleverunt orbem. Est enim venatio quædam quasi schola bellorum; nec Diana magis sylvis ac montibus quam Mavors inerrat. Hic certe profusus sanguis & trementes ferarum morientium artus oculis usurpati, expurgant affectus, firmant animum, & generosiores sufficiunt spiritus, qui pericula metumq; contemnant. Hic discernendi tempus, quando sperare, aggredi, ferire oporteat, hic variorum casuum eventum & strategematum usum edocemur. Peregrinationibus ut in juventute floridior Princeps noster indulgeret, consultum non erat, eo quod unicus esset heres, unicum columnen ac fulcrum domus Electoralis. Munimento igitur opus fuit, quo hæc stabiliretur, atque evitaret casus, qui subito ingruunt convelluntq; adstruata, nã caveas, ac subruunt. Postea tamen anno seculi hujus tertio & sexagesimo iter fecit, propitiis Junone, Venere ac Vialibus, in Daniam, ad celebranda auspiciatissima Sponsaliorum solennia, cum Serenissima Principe ANNA SOPHIA, Feminei sexus splendore ac miraculo, FRIDERICI III. Potentissimi Inviçtissimiqve Daniæ ac Norwegiæ Regis, filia in tantum laudanda, in quantum Virtus, Doctrina, Prudentia in omnibus præcorum nostrorumq; temporum Heroinis exsplendescens intelligi ac æstimari potest; atque iterum post triennium eo se contulit ad sancienda Nuptiarum fœdera, &

con-

conscendendum lectulum geniale: unde, favente cœlo, prodierunt postea Filii duo (quos DEVS servet!) Serenissimi, JOHANNES GEORGIUS IV. & FRIDERICVS AVGVSTVS, duo illa Lædæa sidera, fulgoribus suis paternarum virtutum jubar vel æqvatura vel superatura. Tempore etiam regiminis sui *ἡ Μακαρίτης*, & anno quidem seculi octogesimo sexto, Italiam adiit, terrarum pulcherrimam, ac Venetias cumprimis, illud mundi miraculum & Italiæ Italiam, invisit, paucioribus sed lectissimis assumptis comitibus. Ac biennio post Belgium tum Hispanicum tum Fœderatum perlustravit, Hagæq; Comitum in Principis Arausionensis GVILIELMI, nunc Potentissimi Magnæ Britanniæ Regis, familiaritatem penitus intravit. Ita juxta tellurem patriam, exteros etiam agros coluit JOHANNES noster GEORGIUS; præter varias Expeditiones bellicas versus Occidentem & Orientem fortissime susceptas: ad quas orationis atque instituti mei ordo bonis avibus me nunc deduxit. Quamquam autem res ab Electore Beatissimo in Sago præcipue gestas commemorare Historici magis quam Oratoris existimem; quædam tamen, quod ab iis fieri amat, qui orbem in tabella pingunt, non ut æqvant sed ut repræsentent, obiter enumeranda quam percensenda reor. Anno a restituto orbe millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio Rex Galliarum signa Belgis infesta admovit Rheno, ipsiq; Imperio nostro sua intulit arma, eo quod hoc Batavis tantum non oppressis auxiliares tulisset manus. Unde Potentissimi Electores Saxo & Brandenburgensis, Ducesq; Lunæburgici, graviter offensi, se-

B cundum

cundum fidem ac fœdus, quo CAESARI Optimo Maximo erant devincti, inflammabantur ad suscipiendam Imperii defensionem. Et Saxo quidem ex formula fœderis Egrani cum Cæsare initi, mature virorum aliquot millium auxilia misit; quibus Princeps noster Electoralis, ut Imperatoris bellici Legatus, generose præfuit; nec in unam, sed plures expeditiones, ad annum usque septuagesimum seculi nonum, quo CAESAR cum Gallis paciscebatur Noviomagi, exercitum strenue eduxit, & adversus Imperii hostes quamplurima solidæ virtutis testimonia dedit; speciatim tunc, cum Saxones Cæsareanis uniti, primum apud Maudachium Gallorum impetus fortiter sustinerent, dein ad Sinsheimium, inferioris Palatinatus oppidum, denuo alacriter cum Gallis pugnarent. Quo in prælio licet Saxones & reliquæ Fœderatorum copiarum numero essent multo inferiores Gallis, tamen non sine ingenti ac numerosa suorum cæde victoriam obtinere potuit Turennius; qui fortitudinis excellentissimæ laudem Principi nostro lubentissime tribuit, cohortatus suos, ut Germanorum, ac vel maxime Saxonum, imitarentur exemplum. Erat enim ingenuus virtutis etiam in hoste mirator Turennius; nec quicquam ingenium ejus solidius aut constantius habuit, quam admirationem veræ laudis & gloriæ: simplicius tamen famam æstimabat in hoste quam in cive; quippe a suis credebatur magnitudinem suam destrui posse; eandem clariorem fore, quo majores fuissent, quos ipse vicisset. Macti, macti laude hac, Manes beatissimi; macti testimonio isto omni exceptione majore!

Verius

Verius elogium esse non potest, quam quod ab hoste proficiscitur. Non assentatur hic, dum laudat; nec mentitur, dum id tantum dicit, quod extorquet veritas. *Habet hoc virtus, ut viros fortes species ejus & pulchritudo etiam in hoste delectet.* Postquam pax aurea cœlo Germaniæ reddita videbatur, ecce diralues pestisque gravis Bohemiam Misniamque vehementer incessit. Dresda & Lipsia eodem affligebantur malo; quocirca Parens Nostri Serenissimus JOHANNES GEORGIVS II. Freibergam concesserat, ubi postea diutino confectus morbo, anno ætatis septimo & sexagesimo, seculi octogesimo, placide obdormivit, Princeps incomparabilis, pacis, pietatis & munificentiae studio maxime inclutus, nec unquam satis laudandus. Cujus obitum sicut Saxonia omnis subjunctæque reliquæ provinciæ, atrata luctuque gravi dejectæ quam acerbissime doluerunt; ita mox tamen erectæ, ac Serenissimi Filii successione refotæ, resumere virides, quas posuerant, laureas, speque uberrima, quicquid in JOHANNES GEORGIO II. amiserint, id omne in TERTIO se recepturas fore, sustentabantur.

Mira cano: Sol occubuit, nox nulla secuta est.

Qui historiam novi orbis literis memoriæque proderunt, Mexicanis morem fuisse scribunt, ut, cum Regem novum consecrarent, is hæc in verba juraverit: *Justitiam se administraturum; nullum e subditis oppressurum; bello fortem futurum: effecturum quoque, ut Sol cursum splendoremque suum teneret, nubes pluerent, rivus currerent, & terra omne genus frugum produceret.* Quæ postrema uti sunt ridicula, utpote unius DEI propria,

B 2

ita

ita tres priores conditiones laude sunt dignissimæ; & ab Electore nostro, regimini jam admoto, rite adimpletæ. Administravit ille Justitiam, fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, sine qua nihil potest esse laudabile: amavit Dominam hanc & Reginam virtutum; quæ benefactis honores & præmia, malefactis ignominias & supplicia proponit; quæ studia bonorum excitat, malorum improbitatem coercet; quæ sublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non ipsa deniq; rerum universitas stare ac tueri se punctum temporis posset. Dein subditos non oppresit, sed erexit; & mox a Regiminis sui auspicio magnam onerum & exactionum partem, in spatiosum tempus benignissime remisit; monitum illud Taciti observans, *novum imperium inchoantibus utilem esse Clementiæ famam*; ac Tiberii judicio adstipulans, *tondendum esse pecus, non deglubendum*. Nec vero minus fortem in bellis se præbuit, interventu regiminis. Hoc enim cum annos tres feliciter & ex subjectorum voto tenuisset, mense Julio anni octogesimi tertii, Turcæ, post inducias vicennales ad exitum quidem vergentes, scelerate tamen ruptas, immenso exercitu, atræ horrendæq; nubis instar, se primum effuderunt in Hungariam, dein pervaserunt Austriam, ipsiq; Viennæ urbium Imperatrici incumbentes, universæ Germaniæ formidanda tonitrua ac fulmina portendebant. Hic Heros noster fortitudinem suam, quam admiratus erat antea Occidens, nunc Orienti quoque cognitam perspectamq; reddere gestiebat. Proinde a S. Cæsarea Majestate in auxilium vocatus, mature ipse comparuit, stipa-

stipatus duodecim virorum millibus, multisq; pariter tormentis instructus; & juxta cum Potentissimo Polonorum Rege JOHANNE III, Electore Bavaricæ Serenissimo, aliisque Principum Imperii copiis, & ipsis Cæsareanis ductu Celsissimi CAROLI Lotharingiæ Ducis militantibus, suas conjungens vires, ad Vindobonam primus in hostem animose irruit, ac fortiter resistentes pugnantisque Gianizarios, uti vocant, igniariis, quæ manu mittuntur, bolidibus, adeo divexavit, turbavit, confudit, ut Ejus reliquorumq; Heroum laudatissimorum auspiciis, victoria plane stupenda, tantisque rebus gestis condecorata, quantas audere vix hominis, perficere pene nullius nisi Dei esset, infecuta, & universus barbarorum exercitus ex parte profligatus fuerit, ex parte turpi fuga elapsus, omni apparatu bellico in prædam relicto, ipsaq; urbe felicissime gloriosissimeq; liberata. Eminuit profecto hac in pugna præ multis aliis admiranda Electoris nostri Fortitudo; ob quam etiam Invictissimus Poloniæ Rex intimiore Illum amplectebatur amicitia, & exercitum Saxonicum omni virtute ac robore instructissimum multis cumulabat laudibus, eumq; plane tanti æstimabat, quanti esset Imperator. Georgius ille Scanderbegus gladio validissimo usus plurimos Turcarum medios secuit, ut frequentibus ab eo macatus cladibus Dominator Turcarum, Mahomet, hunc tandem videre petierit. Cumque is parum habilis Sultano videretur, neque hunc esse crederet quem Scanderbegus ferret; respondit hic per suos, illum ipsum esse gladium, sed transmittere una manum, cui habilis esset, non potuisse. Nec pauciores

fortasse hoc in bello Turcico Ensis Saxonicus Thraces Getasq; dissecuit, non solum ad Viennam, sed & in Morea, illa veterum Peloponneso, olim Philippi Macedonis, dein Romanorum, postea Gothorum ac Hunnorum, deniq; Saracenorum armis victricibus bellisque celebri, sed & ad Budam, ad Taurunum, fulgoribus suis & acie aciem Orientis ita perstrinxit, ut, quemadmodum Cunctator ille Fabius apud Romanos Scuti cognomento ornatus est, & Claudius Marcellus, homo acer ad pugnandum, Gladii nomen sortitus, sic JOHANNES noster GEORGIUS, alter Georgius Scanderbegus, Turcarum Ensis, ac fulgurans Orientis terror, jure merito appellari queat. Sed quæ nova ab Occidente oritur tempestas?

*Involvete diem nimbi, & nox humida cœlum
abstulit, ingeminant abrupti nubibus ignes.
Vnde tot Harpyiæ Rheni Nicique per agros?
Tristius haud illis monstrum, nec tetrior ulla
pestis & ira Deum Stygiis emerfit ab undis.*

Nimirum ante triennium ac plus eo Galli, præter omnium expectationem, in Sacrum Romanum Imperium, hostilem fecerunt irruptionem, inque Circulo Rhenano superiore, Svevico etiam & Francoconico, contra Pacis Westphalicæ & Noviomagensis tabulas, contra ipsas inducias maximo illorum commodo in vicennium pactas, igne ac ferro sunt grassati; ubi sane & consilio & auxilio misera destituebatur Germania; nam omnes pene ac singulæ Imperii & Augustissimi Cæsaris copiæ ad extremos Hungariæ fines tunc deportatæ, atq; adeo
a pa-

a patria nostra inopinato concussa graviterque afflicta longissime erant remotæ. Deo igitur quodam ex machina opus erat, qui rapidissimæ illi hostium incursionibus obicem poneret. Tum igitur, aut nunquam alias, apparuit in Electore nostro verus patriæ amor, vera illa & incredibilis Saxonum fortitudo. Cum Philippus armis suis vexaret Græciam, & in Atheniensium templa, aras, & sepulchra ipsa, sæviret, implorarunt hi auxilium Romanorum contra Regis injurias; & placuit Senatui opem tantis ferre supplicibus: quippe jam gentium Reges, Duces, populi, nationes, præsidia sibi ab hac Urbe petebant. Non mentiar, si hic quoque dixerò, Circulum Rhenanum, Svevicum, Francoconicum, tanta in rerum perturbatione summaque consternatione, post DEVM, a solo Electore nostro opem ac præsidia tunc suppliciter petiisse, ac ex voto impetrasse. Ivit ille exercitu suo instructissimo stipatus, paucisque aliorum copiis munitus, vergente jam autumno, ac hostium late vagantium & infesta ubique signa circumferentium, ipsisque Germaniæ visceribus incubantium, furorem ac impetum potenter repressit, & eorum immanitati ac licentiæ metas posuit; donec Deus ab Austro quoque adventaret, ac simul rerum scenam immutaret. Quem Tuum Patriæ amorem, o Defensor Patriæ gloriosissime, Elector Beatissime, quam curam tuam, providentiam, magnanimitatem, nulla gens, nulla ætas, eloquentia nulla pro meritis extollere unquam poterit; citiusque genus humanum, quam gloria illa tua, interibit. Jactet Roma Camillum suum, cujus virtute Gallorum Senonum, gentis natu-

natura ferocis & ad hominum interitum urbiumq; stragem natæ, imperium desperata propemodum salute effugit: nos Te potiore jure deprædicamus Camillum Germanicum, qvi singulari tua fortitudine, Gallorum pariter ferocientium impetus, cum jam pene conclamatum esset, fortiter infregisti, retudisti! Jactet illa terrarum domina Decios suos, qvi semel se pro ipsa devoverunt: se potius jactet Germania de Te, qvi non semel, sed iterum ac sæpius Te pro illa devovisti, ejusq; saluti ac libertati acriter invigilasti! Quid enim dicam de Moguntina illa obsidione fama clarissima, opere laboribusq; gravi, insigni casibus, cædibus atroci, & qua vix aliam tot Electorum, Ducum ac Principum præsentia nobilitatam unquam crediderim; cui etiam Elector noster juxta cum copiis suis exercitatissimis ante triennium generose interfuit? Ecquis ordo, quæ vigilantia, quæ animositas exercitus hujus vel in periculofissimis stationibus collocati? Quam comi alloquio Heros noster ductorum ac militum officia provocabat; quam magnifice præmia & pecunias, maxima ad quidvis audendum incitamenta, offerebat, spargebat? Ut aggerum & vallorum spatia designabat, & inter glebarum jactus ligonumq; motus, per paludes ac fossas discurrebat, incorrupto summi Ducis honore? Aderat enim illi pariter, quæ multum in bellis administrandis atq; imperio militari valet, auctoritas; qua præditus Elector noster, veluti Germanicus ille visu audituq; juxta venerabilis, dum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retinebat, invidiam & arrogantiam effugit. Amisit in obsidione ista

CHRI-

CHRISTIANVM Saxonix Ducem, fidum Achatem suum, togata sagataq; fortitudine eminentissimum, ideoq; & gloria nominis immortalis dignissimum; cujus ex morte grande quidem vulnus accepit, ipse tamen cæli præsidio tectus est ac pluribus belli expeditionibus ad defendendam patriam suscipiendis reservatus. Etenim licet eodem anno, nono videlicet & octogesimo, Dux ultimus Saxo-Lauenburgensis, JULIVS FRANCISCVS, concesserit fati, atq; hinc ortæ sint controversiæ illæ hereditariæ, quæ, per intestini belli incendium, hostium vires ac successus facile potuissent adaugere; Elector tamen noster suis commodis bonum publicum præferre maluit: haud ignorans, seculis omnibus, apud paganos etiam, privatas offensiones sæpius salutis publicæ causa bene ac sapienter condonatas, & illas, quæ Aristidi cum Themistocle intercedebant, simultates tantisper sepositas fuisse, donec bellum adversus hostem communem confectum fuerit. Duravit igitur, & anno seculi nonagesimo rursus ipse præsens cum exercitu suo ad superiorem Rheni tractum advolavit, seq; invictum adversus hostes murum præbuit ac propugnaculum. Imo vero non tueri tantum patriam, sed & hostem fortiter aggredi gestiebat, usq; & usq; strenue illum persecutus; sed hujus presso pede retrocedentis vel astus vel timiditas, pluviosa etiam tempestas, ac læva fors aliorum mens atq; consilia, spem ejus omnem imminuerunt, & ausa ingentia sufflaminarunt. Anno proximo superiore etsi pede laboraret Divus noster; stetit tamen animo iterum ad repetendam Martis arenam,

C

nam,

nam, vel ineundum æternitatis iter paratissimus. Et quanquam non deessent ex summis aulæ Ministris Medicisq; clarissimis, qui rogarent, ne suæ ac subjectorum salutis prodigus, anno hoc, Martio se committeret campo, sed domi curaret valetudinem, seq; ad annos plures ac meliora tempora reservaret; generose respondit, Se non posse manere domi; nec indulgendum valetudini propriæ, ubi salus publica quam maxime laboraret: non ætatis spacio Principes se metiri sed perennitatis; nec tam longam ipsos quam gloriosam vitam ornare: proinde si ad arma ire non posset, se in campum atq; aciem velle deportari. Et vero Fortuna sub auspicia postremæ expeditionis hujus, in qua Elector Serenissimus summum militiæ tenebat imperium, se blandientem ac faventem præbuit ut cum maxime. Rhenus ab eodem, prout olim a Cæsare Julio, fortiter trajectus & fulminis instar penetratus. Galli conferere manus non ausi in speluncas & latibula sua diffugerant; & quod acerbissimum Victori nostro, non fuere qui vincerentur. Summo concutiebantur pavore vicina Gallorum castella; igitur trepidatio & terror panicus illis injectus, pro victoria fuit. Hoc libere dicam: Eo usq; Fœderatorum vis hoc in bello nunquam processerat. Et jam spe tenebantur exsultantes Germani, fore, ut arma sua in hosticum proferantur Plus ultra; sed quo fato, qua invidia Deum (ut veteri historicorum formula uti liceat) hæc belli alea mox fuerit immutata, id dilucide satis explicare non possum; nec volo inter Hannibales agere Phormionem.

Illud

Illud gravissime dolendum, quod morborum contagia Saxonum ac Fœderatorum copias vehementer afflixerint, imminuerint, quodq; ipsi Imperatori bellico expeditio hæc eheu! fatalis fuerit. Mallem hic, Auditores benevolentissimi, lampada tradere, & quæ sequuntur, aliis commemoranda relinquere. Neq; enim proferendis iis vox aut oratio par est, & spiritus ipse propemodum fugit dicentem. Tubinga est, felix alias Apollinis & Musarum domicilium, sed infelix Martis hujus Saxonici hospitium. Tubinga est, quo deferebatur ardente febre correptus, ut medentibus ibidem commode vacaret; quorum arte & industria exquisitissima vis mali multum profligabatur, ut de pene reddito sibi Imperatore milites, Patriæ Patre subditi etiam atq; etiam gratularentur. Sed o fallaces spes nostras! o rerum humanarum mutabilitatem! Recruduit malum, ac prorupit denuo, velut ignis suppositus cineri doloso. Ecquid in extrema quasi tegula stans, inq; summo valetudinis discrimine constitutus, egit Princeps noster? ad quem confugit vel provocavit? Ad victrices legiones suas? sed & hæc magnam partem erant langvidæ, nec ulla earum mortem expugnare unquam potest. Ad immensum illum armorum suorum apparatus ac vim tormentorum? atq; hæc mortem non auferunt sed inferunt; non amoliuntur sed accelerant. Ad stirpem & heroicos natales suos? *Ego dixi, ait Psaltes, Dii estis, & filii excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini!* Ad aurum, gemmas, vel palatia sua? sed auro gem-

C 2

misq;

misq; non perstringitur mors aut occœcatur, & æquo pede pulsat pauperum tabernas Regumq; turres. Unica supererat machina, uti necessaria sic minime fallax, quam in ipso vitæ exitu adhibuit; quæ, cum cæteræ deessent, non, ut ante, hostium castra ac munimenta, sed cœlum perripit. *Morior, inquit; at spero, per Christi Salvatoris meritum salutem æternam me esse consecuturum!* Hanc victoriam postremam, hunc triumphum gessit Elector noster: post quem, victor omnium ac sui, vitæ immortalis Capitolium ascendit. Heu columen lumenq; Patriæ quo abis? heu exemplum & admiratio omnis ævi! heu bellator ac triumphator, spes tuorum, terror hostium, Orientis ac Occidentis tremor! heu invictum Rheni tonitru ac Martia tempestas! *Omnis caro fœnum est, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo.* Heu fulcrum imperii, salutis ara, libertatis asylum, tutela tranquillitatis publicæ! Eamne obijci nobis calamitatem, ut lares ac focos nostros, templa ac tribunalia nostra, per Te bonam partem defensa ac salva teneamus, Te vero defensore tantis in muneribus carere oporteat? Date milites, date cives, lacrymas; fodite genas, tundite pectora! Equidem triumphum illi cœlestem non invidemus, sublatum tamen & ereptum nobis non lugere non possumus. Et ereptus est in ætatis virilis robore, ereptus est extra patriam! Verum quid tum postea? Obiit extra Saxoniam suam; sed omne solum Heroi unum est idemq;. Ubicunq; fortis animus erumpit, cœlum suum

pe-

petit. Germanicus ante laudatus intra annum vitæ quintum & tricesimum fato functus; neq; Victor orbis Alexander hunc ætatis orbem egressus est, & uterq; extra patriam occubuit. Heroium est, antequam senescant, mori, nec vitæ longitudinem annorum numero sed gloria metiri. Parum refert, quando e vita migrent. Hæc bene & gloriose acta quocunq; in loco quocunq; tempore desinet, semper se suis laudibus occidens consolatur. Vale igitur Princeps laudatissime, ac cœlesti tua felicitate æternum gaude! Vale Turcarum domitor, Gallorum flagellum, Imperii scutum, Patriæ libertatis assertor! Vale Occidentis ac Orientis terror! Vale Mars Soli Lunæq; formidabilis! Tu in ore, Tu in mente manebis Saxonum tuorum, nominisq; magnitudine Germaniam, Europam, orbem universum, diuturnitate autem famæ vastissimam æqvabis temporum profunditatem. Tu sermonibus, Tu memoriæ quoq; constanter inhærebis Serenissimæ CONJVGIS, Principis Regiæ, Heroinarum Principis, virtutibus ac sapientia sexum amabiliorem longe supergredientibus eminentissimæ. Quæ mœstissima nunc Artemisia, non velut antiqua illa, Tuis se cineribus pascens, in ventriculo, sed in pectore suo ac mente Mausoleum Tibi eriget ac

-- *monimentum ære perennius,
regaliq; situ pyramidum altius:
quod nec imber edax aut Aquilo impotens
possit diruere, aut innumerabilis
annorum series, & fuga temporum.*


C 3

Sal-

Salvete vero ac vivite, vestrumq; candidum terris fulgorem diu commodate, o lucida o salutaria Sidera, Castor & Pollux! Vivite, JOHANNES GEORGI IV, & FRIDERICE AVGVSTE; ac post Paterni Solis occasum sereno Vestro exortu rumpite atra luctus nubila, dissipate mœroris tenebras, vigoremq; ac lumen provinciis ac subditis squalidis attonitisq; reddite! Bonum factum, quod, cum Magistratus omnis, omnis Princeps, vitæ sæpe brevis & caducæ, semper fluxæ ac mortalis, status vero ipse & Respublica æterna sit. Bonum factum, quod Saxonicæ felicitatis perpetuitati Vos divinitus destinati sitis, o Principes tanto Patre, tanta stirpe multo dignissimi! Ac TV imprimis Serenissime ac Potentissime JOHANNES GEORGI IV, cui, jubente DEO, votisq; subjectorum omnium ac publico applausu, rerum salus, Patriæ tutela, Electoralium Provinciarum regimen & cura nunc incumbit. Nemo Saxonum ac Mysorum Tuorum tam constans aut durus, qui Maximi Parentis Tui fata ferme immatura non acerbissime doleat; nemo pariter mœstitia tanta in terram prostratus est, qui non in Tuæ successionis omine erigat se, optimaq; spe levet casum huncce multo gravissimum: ut dubium sit, utrum major fuerit conceptus ex morte Serenissimi Parentis dolor, an ex imperii Tui auspiciis commune gaudium. Quantum enim in Patre amisisse nos fatemur, tantum in Te paternarum avitarumq; virtutum imagine absolutissima

lima recuperasse, tam firma animi fiducia credimus, ut, quoties Illius recordabimur, toties Eundem in Te revixisse gaudeamus; quoties Te intuebimur, toties non ereptum Illum, sed restitutum nobis persuadeamus. DEVS Te amet, Elector Potentissime, quem Tu semper amasti; DEVS Te fervet ac tueatur, ut Tu nos diu servare, patriæq; libertatem fortiter tueri possis! Quidni enim a laudibus, quas non capit ingenii mei tenuitas, ad vota transgrediar; quæ, si cætera desint, sola absolvit pietas. Conquirere elogiorum Tuorum titulos, commemorare virtutum Tuarum seriem, Sanctitatem, Justitiam, Clementiam, Fortitudinem & Doctrinam excellentissimam, deprædicare corporis & fortunæ Tuæ munera, ejus erit forte, qui Magnitudinem Tuam angustius quam par est, metiatur, aut certe justam moliatur historiam. Ad preces itaq;, ceu dixi, confugio, Numenq; summum ac æternum veneror, ut Tibi ac per Te provinciis Tuis, imo toti Germaniæ, prospera omnia, hoc est, digna seculo Tuo contingant. Adspiret illud ex alto regimini Tuo, ut Imperanti & parentibus quam maxime sit salutare; fortunet consilia Tua, ut a scopo nunquam aberrant; interveniat actionibus Tuis, ut prosperrimum consequantur exitum; confirmet provehatq; successus Tuos, ut Tuam nostramq; posteritatem dulciter exhilarent. Stringatur abs Te, ad fortissimi Patris exemplum, geminus Ensis Saxonicus, alter Orientem alter Occidentem versus feliciter; ac perfruatur hoc & futurum seculum Tua (si res postulet) in præliis magnanimitate, in victoriis moderatione, in pace felici-

felicitate, in consiliis prudentia, in executionibus
celeritate! Plura dicerem, nisi apud DEVM ac
Principes paucis sermone utendum scirem. Hoc
tantum inter subiectos mihi subiectissimo, nomine
omnium, subnectere liceat: Det DEVS, ut
JOHANNES GEORGIVS IV. more suo,
hoc est, bene imperet, & nos bene imperanti
bene pareamus. Felicem Principem his
subditis; felices subditos tali
Imperante!



AXO heu! clausus jacet

ELECTOR SAXO

Germaniæ murus,

Serenissimus ac Potentissimus

IOHANNES GEORGIVS III.

TRIS coit in partes numerus perfectus;

Initio Medio & Fine gaudet.

Ita quicquid in Avo Heroicum, in Patre Gloriosum,

id in Filio erat consummatum.

Hic Iano Gemino circumspiciat

Præterita respexit, Præsentia direxit, Futura prospexit;

ac trino ex bello ter celebris

Gallicano priore & hodierno, itemq; Turcico,

Occidentis ad Rhenum, Orientis ad Istrum,

Meridiei in Morea Terror,

tres mundi plagas

armorum & nominis sui fama implevit.

Lugen-

Lugendum ac legendum hunc HEROEM

heic proponit

Trium Gratiarum, trinæque Musarum trigæ

Delicium ac Ornamentum RINCKIVS,

Sermone Panegyrico

propitia Tritogenia elaborato;

Cui Epilogum addere non potuit pulcriorem

quam

IOHANNEM GEORGIVM IV.,

priorum Trium Epitomen,

& amplissimum Futurorum Exordium.

Fuit olim Numerus Quaternarius Mercurio & Herculi sacer,

quorum uterq; quarto mensis die natus.

Exhibebit se Potentissimus ac Serenissimus

IOHANNES GEORGIVS IV

fausto omine & nomine

Mercurium atque Herculem Germaniæ,

Mercurium Sapientia, Herculem Fortitudine,

in Pace & Bello *regnavit.*

Sacer etiam est Quaternarius Naturæ,

quæ rerum elementa in eo sacrauit.

Sacer est Virtutibus,

quarum Cardines in eodem vertuntur.

Sacer quoque nunc erit Saxonæ

quæ in ELECTORE novo

tanquam Idea

consummatissimam venerabitur

Prudentiam, Fortitudinem, Justitiam, Temperantiam,

& quam his quatuor Plato addidit

Sanctitatem.

Erit Saxoniam Paradisus,

& a Fonte hoc Quadruplici

Bonis irrigabitur omnibus

quæ Ecclesiam, Aulam, Bonas Artes, Populiq; felicitatem

ornare possunt & conservare.

Hæc



MEO Hæc uti pie mecum voves,
 Clarissime omniq; liberali doctrina Politissime
 mi RINCKI,
 ita vel rigente invidia
 vive terq; qvaterq; beatus;
 ac ut olim non magis decorum erat
 Statuam in foro Romano habere qvam ponere,
 sic porro Summorum Principum tuorum immortalitati
 prospice pariter ac tua.
 Discet hinc orbis
 Ipsum plurimis abundare Virtutibus
 qvi alienas tam magnifice deprædicat.

Scrib. AltdorfI Nor.

MAGNVS DANIEL OMEIS,
 Com. Pal. Cæs. & Prof. Publ.



læc

PROGRAMMA.

JOHANNES GEORGIVS
 TERTIVS
 PATER PATRIÆ OPTIMVS
 In Tabula...
 de...
 et...

EX-



U

Unde lacrymas Pallas
Confunde Virtus Elegis Elogia
Tunde pectus Melpomene
Pertunde Diespiter Clypeos
Clange Aquila
Plange Ruta
Pange Præfica Fama Nænias

JOHANNES GEORGIUS TERTIVS

*Dux Saxonie Julia Clivia Montium Angria & Westphalia
S. R. Imperii Archi-Mareschallus & Elector*

Landgravius Thuringia

Marchio Misnia & utriusq; Lusatia

Burgravius Magdeburgicus

Comes Principali Dignitate Hennebergicus

Comes Marca Ravensberga & Barbis

Dynasta in Ravenstein &c.

Heros Magnanimus Pius Fortis Felix Inviectus

Asertor Libertatis Alemannicæ

Propagator Fortitudinis Saxonicæ

Triumphator Perfidie & Potentie Hosticæ

PATER PATRIÆ OPTIMVS

Pro Patria Vitam posuit

Orbos Orbis Delicias Filios fecit

Heroinarum Decus Conjugem in Viduitate reliquit

Terrestre Clientum Præsidium cum Cœlesti commutavit

In patentissimo Corporis & Animi vigentis Flore commarcuit

Imperio quod pro S. R. Imperio masculè gessit se abdicavit

Paucis ut multa complectar

Fulentissimum Orbis Sidus

Lucem caliganti redditurum Germaniæ

cheu! occubuit

Nocte tamen quod mirere nulla secuta.

STUPESCE LUCINA!

Lucem quam in Luce Urbium Dresda Lux Heroum

Sub Auroram Pacis acceperat Westphalicæ

Albi fluvio applaudente

inter

Et Oblucina Morbonæ

Et Delinimenta Hygeæ

Et Tormenta Bellonæ

In Tubinga ad Nicri Necrici ripam posito Musarum Amphitheatro

Apolline lugente

Nicri unda aggemente

Rheni Flumine condolente

Ipsa Mavorte lugubria induente

Se indigis liberalissime impertiendo

Consumsit, perdidit, amisit, Polo immisit,

EXPAVESCE JUVENTAS!

*Egregia Regiaque Corporis Herolci Lineamenta
Virentibus Annis producta*

*Et Educationis sollicitissimæ Ope in Perfectionis Opus perducta
Formam JOHANNI, Robur GEORGIO, Humanitatem Juveni
conciliarunt*

Bonis Nominibus in Omina æquè versis

Ac Malis Numinibus dispersis

Achilleæ illæ Dotes non tam strictim enituerunt

Quam clarissimo Incendio exarserunt.

Quibus auspiciis

Partim prolusisse Eum adultiori Prudentiæ

Partim prodidisse diviniore Animi Dotes

Solis sub DANIÆ ITALIÆ & BELGII radiis

Vario licet annorum fluxu

nescio an fotas magis an illustratas dixerim:

Certe

Regiæ Daniæ Tædæ tædium Armorum non attulere

Svavissimæ Italia Deliciæ Licia Virtutum non disrupere

Bellissima Belgii Illicia Vitam non corrupere:

Vah! autem

Corrupto in Seculo incorrupta ad Virilem usq; ætatem transmissa Juventus

Apricata uti est media Ætatis in Ætate

Ita Mortis umbra corrupta

Tum interiit cum ab interitu vel maxime vindicanda videretur.

EXHORRESCE VIRTUS MASCULA!

Podalirius Archi-Saxo

Qui serpenti passim in Patria Morbo

Serpentem objecit Epidaurium Vigilantiam suam Numine stiparam:

Idem Heros

Horrendos in horrescentes Turcas primus qui protulit Enses

Ad Germaniam Germaniæ Viennam ab Obsidione Barbara liberandam

Idem Imperator qui primus parva manu Magnum Vezirium

& Castris & Potentia & Fortuna exiit

Qui ad Budam Belgradum & alia quæq; Hungariæ Oppida & Castra recuperanda

fortiter liberaliterq; omnia sua contulit:

Idem Rex Exercitus qui longas Regibus esse Manus ostendit

In Peloponnesum usq; longissimâ viâ

Suppetiis immortalis Famæ & Gloriæ transmissis:

Idem Elector qui suam in Caput Orbis Christiani

LEOPOLDVM

Observantiam

In S. R. Imperium Fidem

In Patriam Pietatem testaturus

GERMANIAM

Protectoribus vacuam

Defensoribus destitutam

Candori suo & Induciarum fidei secure indormientem

Primus inopino Solis Gallici æstu adustam PARELIUS refrigeravit

Primus vehementiore Galli cantu exterritam LEO conservavit

Amplissimis illius Provinciis & Civitatibus

Vel præsentissimo quod imminabat periculo ereptis

Vel in tutiorem quam antea erant Statum collocatis

Miraculo ne majore an Prodigio

dubium est:

Sane

Sane
Regum five Prodigio five Miraculo
LVDOVICO
Electorum & Prodigium & Miraculum
JOHANNEM GEORGIVM TERTIVM
in tempore oppositum quis negarit?

Is ipse igitur
In Serenissima Meritorum Famæq; Orbita decurrens
Ut Orbis quiesceret quiescere noluit
Donec
Festinate Fato
In medio
Et florentis ætatis tramite hærens
Et Virtutis Heroicæ stadio consistens
Et præclarissimarum Rerum cursu rerum omnium Arbitri arbitrio quiescens
Nil unquam mortale fecit nisi quod Naturæ satisfaciens mortem appetiit
Meritorum tamen Gloriâ
Et Paris Filiorum
CASTORIS & POLLVCIS
Fulgore Paternum examuffim referente
Immortalissimus:

Dignus
Quem Sol & Luna terrestris non tam mortuum lugeant quam vivum adorent.
Quas inter laudes lucibus mistas
Communitibus Patriæ Lacrymis
Norico in Solo suas quoq; Pietate stimulante affundens

DN. EVCHARIVS Gottlieb Rind

Divos Divini Herois Manes
subjectissima devotione venerari
ac
ORATIONE
Latino tersoq; stylo conscripta
Iusta quasi Tumuli
Tanto Principi
In Acroaterio lugubribus circumvelato pannis
persolvere in animum induxit
cujus
Pio æquo & laudabili Conatui promovendo
ut

Magnificus DN. RECTOR
Generosus DN. PRÆFECTVS
Senatus Academici QVIRITES
Genere & Literis Nobilissimi DNN. STVDIOSI

Circa Crastini horam IX.
post signum Campanæ pulsu datum
præsentes adesse velint
unicum idq; flagrantissimum est votum

DAN. GVIL. MOLLERI
h. t. DECANI.

P. P. Altdorfi Noricorum d. xxxi. Jan. A. R. M. c15 11x 15cc.

Literis HENRICI MEYER, Vniv. Typogr.



4^a
SERENISSIMORVM
SAXONIAE DVCVM

DECVS AC ROBVR.